ORATIO GABRIELIS SANTILLI LITERATURAE GRAECAE ET LATINAE...

Gabriele Santillo



ORATIO

GABRIELIS SANTILLI

LITERATURAE GRAECAE ET LATINAE PROFESSORIS

HABITA IN AEDIBUS LYCEI AQUILANI

VII. CAL. FEBRUARII M DCCC LXV



NEAPOLI
EX OFFICINA LIBRARIA ANGELI TRANI
1865



Quid valeant Latinae literae ad perficiendum Vulgare Eloquium, nunc quam opportune renovandum populari Italicae libertatis voluntate:

Tertius jam annus est, AA., quum in Lyceo Salernitano dicendi munus mihi delatum obiturus in solemni praemiorum distributione cogitabam fore non abs re, ut de more majorum latinam ibi orationem haberem. Sed, quominus facerem, obstitit nova temporum et hominum disciplina. Quae classicarum literarum studium, quod passim in Italia resederat seu incuria seu industria hominum male prospicientium literis illis, in quibus tantus inest color libertatis, vehementius excitando, Italicis illud literis nostris praecipue inserviturum esse jubebat. Contra sane hunc propositum finem visus essem me gerere, si jam inde primum quum tot amplissimi viri ad collaudandam utilitatem hujusce novae institutionis acciti fuissent, malnissem ego Latine, quam Italice loqui: praeter quam quod Latine scire ostendens, perinde ac est bona pars officii mei, verebar, ne quis forsitan existimaret, me Italice loqui minus aut valere, aut velle; quod alterutrum fuisset turpissimum nato in Italia mihi, civi et professori. Statui idcirco me differre in majorem opportunitatem perficiendi rem. Nunc e progressibus discipulorum, et e necessitate vulgo perspecta bene sciendi Latine persuasus sum aliquid tandem esse faciendum,

ut verbo et exemplo nostrae stimulos addam juventuti, incumbenti in opus non tam difficile, quam laboriosum. Quod quo lubentius subeatur etiam adolescentium nonnullis, quadam veluti insinuatione inductis ad vale dicendum omni Latinitati, visum est mihi haud parvum fore operae pretium, si, *quid valeant Latinae literae ad perficiendum Vulgare Eloquium, nunc quam opportune renovandum populari Italicae libertatis voluntate*, disserere aggrediar. Sic esto: at vos velim, A.A., tam difficilii in re me ea, qua polletis, benignitate audiatis et confirmetis.

In ea nos incidimus fortunatissima tempora, quibus, quum sunm cujusque nationis jus imperii et consilii penes se prorsus esse oporteat ex naturali tum circumscriptione seu terrae seu maris, tum similitudine morum, legum et linguae, unde fit, ut homines in unum populum coalescentes nec domi patiantur alis, quam suis legibus parere, nec foris alio jure, quam naturae et gentium imperari, nos in optatam diu multumque Italicarum gentium congregationem, societatemque unius regni tandem aliquando devenimus. Fuimus Romani, victores gentium, legislatores populorum, principes orbis terrarum. Nunc, renati meliore fato, Itali sumus; gens compos sui juris, suique imperii finibus liberandis intenta, ceterum nihil cupida, ut olim, dominationis suae augendae per injuriam alienae libertatis, ludibriumque fortunae. Nunc Itali sumus, et in id unum enixe incumbimus, ut homines quotquot sunt hujus regionis, quam per montes perque maria a circumstantibus regionibus ipsamet natura partita est, unum sibi nomen, imperium, consilium obtinere et in pace et in bello praestent, sicut apud exteras gentes vel

factum esse, vel facto opus esse scimus. Dissociatis huc usque Italiae populis dolo ac vi principum nostratium magis, quam barbarorum incursionibus ac ruinis, consulendum est, ut illi potioribus inter se vinculis instauratis colligentur contineanturque; nemine detrectante, firmissam ovasuram populorum consociationem, quae firmissimis obstringatur vinculis. Quorum in numero primum ac potissimum illud esse linguae, qua cuique utendum est, quis neget? Haec morum, haec legum, haec omnis humanitatis, civilisque disciplinae cujusiibet gentis prae se fertur quasi quoddam signum in memoriam saeculorum: haec quo est usu perfectior et vulgatior, eo magis coaluisse jam gentes, inque unam nationem devenisse demonstrat.

Porro dicemus eloquii nostri naturam ac vim, pulcherrimam sane ac prope divinam, ita usui nostro penitus accommodatam esse, ut omnibus, qui in Italia sunt, unam eamdemque esse vulgarem linguam adseveremus?

Id quominus assecuti hactenus essemus, impedit praesertim disjunctio, et quasi secessio, Italarum gentium, nullo unquam post Romana tempora ne foederis quidem publico vinculo devinctarum. Sed quum, auspicatissima providentia Dei O. M. rem inchoatam justo bello, populariqne profligatam acclamatione mox opportune confecturi, nunc eo ventum sit, ut una Italorum natio propediem habeatur, cunctis jam fere suis gentibus in unius regni communionem ultro invectis, opus est, ut vulgaris eloquii nostri usui perficiendo consultum eamus; nihilque omittendum, quod Italo nomini tam longe erit profuturum. Quae quum ita sint, videamus, quid aptius atque opportunius sit ad augendum perpoliendumque hujusce nostrae linguae usum.

22 r

Ego equidem ajo, multis de causis in originem insistendum esse. Natura quippe rei inde ex sua origine cognita, facilius erit praevisu, quem ad finem, quasque per vias progredi ea deducique possit. Unde enim orta est lingua, inde operae pretium est primas leges, quibus est constituta, repetere; sicque elementa, ex quibus lingua constat, insitam huic vim significando, omnem quoque linguae explicationem futuram apud homines, qui ea utentur, praemonstrabunt. Linguarum familiae quum tanta necessitudine junguntur, ut non desint, qui ab uno eodemque stipite eas derivatum iri, uti aliunde certum est, conjectantes, et mox fortasse ex Orientis gazarum penu depromptis opibus adseverantes, indidem summas earum leges fore deducendas dicunt; quin linguam nostram in domum parentum suorum nos reducere possumus? Possimus? Jam debeamus; si quidem tam nos non pudeat degenerasse a majoribus nostris, ut ne majestatem quidem sermonis eorum sustinere valeamus. Sed pudeat eos, quibus splendor gloriae nostrae, si ulla temporum intercapedine demortuao, novissimis certe rebus bellicis ac civilibus feliciter exsuscitatae, ita perstrinxit oculos, ut Italiae huic, quam *mortuorum terram* vocitabant, obtrectare non desinant. Nobis et necessitudinis ergo, et reverentiae plurimi semper erit faciendum quidquid Italia ab antiquissima suorum recte factorum memoria sibi jure vindicare queat: ut appareat, quanta usque veneratione prosecuta sit dicta factaque patrum, quantaque eos prudentia imitando, se et facere, et pati fortia edoctam ab illis esse subinde praebuerit. Itaque arbitror inter nos fore neminem, qui in tanto opere perficiundi usus sermonis nostratis neget, se bene operam

in id navaturum, quandoquidem ego insistendum originibus ipsis linguae dicere pergam. Sed, quo latius pateat propositum orationis meae, ad majora transeamus.

Posthabitis ceteris omnibus elementis, quae in Italicam linguam procreandam sunt inducta, ex his quae ad rem nostram propius spectare nemo inficiatur, duplex eminet origo, Graeca, et Romana. Sed de Graeca origine alias edisseram: restat hic de Romana aliquot verba facere.

Norunt autem omnes, adeo proxime ad Romanam linguam accedere Italicam, ut hanc aliquis affirmet et jam, priusquam Roma esset condita, passim in Italia usurpari; et quum ceteris sermonibus Italicis praestitisset in urbe usus Latinae linguae, obsolevisse tantummodo inter primores civitatis, in vulgus autem nunquam penitus fuisse explosam. Quare eam Medio Aevo renatam malunt, quam natam esse dicendam. Quod quidem ego cum bona pace literatorum id opinionis hominum adserere non ausim. Convenit autem inter omnes, vulgarem nostram uni proxime cohaerere Romanae linguae; quae per Classicos scriptores quum a Latinitatis origine et copia nuncupata fuerit Latina, Critici recentiores, ut Latinitatis mutationes per Italicorum sermonum diversitatem identidem in urbe Roma factas denotent, Romanam jure vocant. Romana igitur lingua eadem est, ac Latina cum appendicibus elementorum, quae ex Italicis sermonibus convenarum Romae jam a principio conglobatorum in Latinum sermonem, mature praecellentem, irrepserunt. Unde conspectus est, Romanam linguam et praeter summam Latinitatis ferre in se congestas opes antiquis-

simarum Italicarum omnium originum, et Latii totiusque fere Italiae indolem ex insequentibus bellis et legibus sibi assimilatam praebere. Id quod est vinculum ducendum antiquius, quo se obstricta jam, obstringendaque magis in diem ad ter decies mille millia habitatorum sentire debeant. Et senaere tot praestantissimi nostri scriptores, qui ab Aligherio, Petrarcha, et Boccaccio, usque ad Vincentium Foscolum, et Iacobum Leopardium, Italicae rei bene se consultum ivisse ostenderunt, quum Romanam linguam tanta aviditate arripuerint, arreptamque civibus suis tradiderint tam versa, quam prorsa oratione admirandam. Nec sibi defore, nec patriae rati, quando pristina Senatus populique Romani majestate sermonis potuissent et animos sibi pares addere, et patriam servitute affectam extollere ad majores ausus. Tanta enim est Romanae linguae insita vis justitiae et libertatis, tantaque difficilimae cuique rei audendae agendaeque nata indoles, facilius ut sit eos, qui Romanos scriptores lectitant, Romana sensa non posse capere, quam captis non posse sibi animos validiores alacrioresque inde factos sentire. Id quod nusquam alibi, quam in Italia, fore luculentius, omnes affirmant; nec immerito. Num enim per decursum temporis, humanarumque rerum vices, non semper in pejus ruentium, Italia unquam sibi defuit, vel potius sibi constare destitit? Num a memoria Aboriginum, Pelasgorum, Etruscorum, Siculorum, et Magnae Graeciae ad haec usque tempora Italici regni prorsus immutatum esse Italis ingenium dicetur? Quod tum ex natura et ratione rei, cum ex historia et experientia hominum constat vix modificatum, at certo non immutatum. Nobis satis sit me-

minisse et quod Joannes Baptista Vicus demonstravit, Romanos fuisse antiquissimae Italorum sapientiae haeredes, contra id quod Germanorum nonnulli, obtrectatores Italicae gloriae, jactitant; et, quod nemini denegatur, auctores nostros, qui Italice scripserunt, Romanorum nepotes non degeneres esse, Romanam majestatem cum maxima temporum lenitate referentes. Idem quippe ingenium Italis antiquis, et recentibus; utrisque vis mentis, animique vigor par in omni; rebus pacis, studiisque belli nihil antiquius utrinque habitum, nihil gloriosius actum.

Liceat ergo aliis, quam nobis, Romana sensa posse capere, eaque verbis et factis, ut par est, exprimere? Eta̅nne amplius aliis, quam nobis, inditum est praestantissimum illud animi facultatum temperamentum, quo et mentis acies, et ingenii foecunditas, et memoriae modus, et voluntatis alacritas, et rationis comprehensio, et acerrima sensuum vis tali inter se disciplina copulantur, ut hominem, summa quaeque rerum complectentem, assuescant uno tenore intueri et loqui, cogitare et agere, invenire ac disponere? Ita ut nobis cum summa felicitate perspiciendae, memorandae, comprehendendae, agendaeque rei miram facultatem exprimendae copulantibus, teste unico Aligherio, oporteat sermo, qui vim illam dialecticam, (seu syntheticam, in nobis praecellentem, cum analytica temperatissimam) prae se ferat per nativum verborum suorum habitum, qualem postulat qua gentis qua linguae nostrae indoles.

Quid, quod hoc uno habitu satis per se discriminata appareat Italica lingua inter recentiores *Romanenses* linguas? Nulli enim illarum tanta inest vis originis, unde

defluxerunt: ut siquis, collatis omnibus inde haustis earum clementis, percunctari velit, quibusnam quaeque lingua magis abundet, inveniet profecto prae *Romanensibus* reliquis linquis Italicam plenissimo Latinitatis alveo redundare. Nos, ni rivulos prae fonte consectemur, cunctam rem nostram literariam pessundabimus, aspernantes tantam nobilissimae originis copiam et commoditatem. Nec video, quorsum evasura sit lingua, quae, recto originis suae tramite posthabito, curset huc illuc, quicquid fortasse obvenerit, assumtura sibi. Haeccine erit vinculum totius nationis lingua, quae nec pristinam dignitatem meminisse se ostendat, nec praesenti conditioni gentium suarum consulere studeat, rerum novarum cupida? Haeccine vinculum totius nationis lingua, quae, quin caveat incolumitati pulcritudinis suae, alienigenarum fuco se passim infici patiatur? Quid sibi discriminis erit utendum in tanta supervenientium alienorum elementorum colluvione, quum sibi originem suam constare nequeat ostendere? Quid, si nova barbaries irrumperet in haec loca, nostrumque sermonem vastaret per barbaricam loquelam dominantium? Nonne, dispulsa tandem calamitate, redeundum esset ad incunabula eloquii nostri? Nonne originibus potissimum Romanis reficiunda esset omnis nostra res literaria? An sine illis putamus satis tum fore nobis auctoritatem Italicorum, si qui forte superfuerint, scriptorum ad redintegrandam puritatem ac dignitatem linguae nostrae?

Siquidem humana quaelibet instituta, quo rectius stent vigeantque, ad principia, a quibus sunt orta, ex intervallo revocanda sunt; quo magis, quum inclinata fuerint, dirigi ea non posse patet, nisi illa ipsa vi, qua primitus fundata ac stabilita fuere. Depravatam

linguam nostram, si quando foeda barbaries, aut si qua alia calamitas (quod Deus avertat omen) praevaluerit, ullane disciplina rectius, quam firmissimis derivationis suae legibus, corrigemus, reformabimus, instaurabimus? Quidni? Si esset lingua sui generis, neque aliunde nata, tunc quicquid sibi ex auctoritate scriptorum, usuque vulgi superfuisset, posset sufficere, ut per se ipsa revivisceret. Ea autem quum non sit, et recens nata ex intermortua tanto porfruatur vitae, quantum temporis est a morte Latinae linguae, profecto ab hac derivatam derivandamque eam, perindo ac tali matre talem genitam esse filiam, in omni fortuna agnoscemus.

Scilicet originibus insistendum, ut proniore quasi alveo defluere videamus, quae in exstruendam linguam illabuntur; superque iis molem linguae, praesenti quaque ope reparatam, instaurare possimus. Sic suis innixa fundamentis exsurget peridonea ad sustinendum quantumlibet onus sibi superimpositum per usum gentis suae, suorumque disciplinam scriptorum. Id quod certe praedicandum est hodie, modo velimus, ut est in ore omnium, Italicam linguam talem efficere, ut una eademque sit apud omnes, qui Italicas colunt regiones. Nonnisi enim proposito illo principio, a Dante Aligherio ...n pridem usurpato: *quod in qualibet redolet civitate, nec cubat in ulla*, id ex voto fieri poterit.

Porro quid tandem est istuc Aligherii, nisi illa senescentis Latinitatis vis Italae praecipue genti commissa; aut, ut melius fortasse dicam, extremus ille morientis Romanae linguae spiritus, qui quum esset Italis prae ceteris circumstantibus populis traditus, in novam transiit, novis intercidentibus rebus, vitam *Roma-*

nensium linguarum, quarum una propior Romanae debuit haereditatis jure esse Italica? Cur Dantes Italicam linguam, seu *Vulgare Latinum*, ut appellat ipse aliique aetatis ejus scriptores, *omnis Latiae civitatis esse, et nullius esse videri* asserit, nisi quia ex communi Italis omnibus origine demortientis Romanae linguae derivatur? Vel quid sane aliud Italis omnibus commune, unde hoc Vulgare reapse evenit, dicitur, nisi, *quod in qualibet redolet civitate, nec cubat in ulla*, Romana sit origo? Quod ergo immensus ille vir, princeps linguae nostrae auctor et magister, adseruit, nos parvuli denegemus? quod illi tanti constitit, ut in una lignae origine oportere unam gentem, unam Italiam esse peregrinabundus clamitaret, nos ejus voti compotes nihili faciemus?

Quapropter commendaturus Literaturam Latinam non tam Classicorum studiorum favoris insimulari, quam recentissimis literis nostris, populari libertatis aura renovandis, inservire videor. Quae, iterum dicam, ni ad proprium gentis nostrae, quae fuit quaeque est, ingenium effingantur, nusquam nobis eo frugi fient, ut uni genti unae literae esse videantur.

Sed agite, A A., qua demum ratione studendi Romanae linguae prodesse vulgari eloquio nostro poterimus, inspiciamus. Duplici nempe ratione: quarum altera strictior et subtilior; altera latior sane et plenior.

Prima est universa res grammatica, quae tam Latino, quam Italico sermoni ita similis apparet, ut, nisi une partu gemini editi sint, alium ex alio genitum fuisse agnoscamus. Idcirco rudimenta Italicae grammatices non solum depromenda, sed etiam majore semper auctu ditanda sunt ex opibus Latinae: ut quam

conjunctissimam sermones habuere originem, vel simillima specie eam ob oculos versent. Id quod jam inde ab ortu linguae nostrae scimus tum praecipuis etymologiae et syntaxeos partibus, tum reliqua philologiae disciplina principes Italicorum auctorum fecisse. Nolimque heic mihi objici, hos tam Latine scivisse, ut et aliter scribere diu addubitarint, et Italice scribendo Latino se prorsus habitu exsuere nequiverint. Nam id ipsum quanti e re nostra literaria fuerit, eventu fuit declaratum. Usus enim ingenitam sibi nutritamque vim Latinam complexus, se foeda quaque alienarum gentium labe detergere ita studuit, ut uno et altero post saeculo purgatissimus ornatissimusque passim in Italia increbresceret. Atque utinam nobis reliquum esset non a turpi exterorum barbarie eam veteri servitute in Italiam immissa: non a servili finitimorum imitatione; non a tot tantisque Italicorum sermonum varietatibus; sed a nimia Latinitate praecavere. Seges abundans facilem se resecanti praebet; alienis oppleta stipulis vix recidi, nedum exstirpari patitur.

Atqui ita se res habet nostra, non ut nos a copia elementorum Latinorum et Graecorum temperare; sed potissimum varietates, quae adhuc obtinent, Italicorum sermonum ad unam nativam linguae nostrae vim componere studeamus, novum quicquid extrudentes, praesertim Gallicum, quod nimia linguae morumque imitatione longe lateque effusum esse in Italia non sine magno nostro pudore sentimus. Qua turpissimae imitationis labe eos magis maculari videmus, qui, Italico sensu prope destituti, Romanas literas minus callere curant. Reliqui contra, quos bene de Italica lingua meritos viros appellamus, (quorum nonnulli etiam nunc

vitam agunt) docti sermones utriusque linguae, Graecae et Latinae, vitabundi Gallicam omnem peregrinitatem, incolumem linguae nostrae statum obtinuerunt. Ne fastidiamus igitur operam illorum, qui docendae discendaeque linguae Italicae causa novas inire satagunt rationes consequendi id per facilem comparationem grammaticarum rerum, quae cum Latina lingua vel sunt, vel esse debent Italicae communes. Facturos operae pretium putamus eos, per quos ab alienarum litterarum consuetudine inter scribendum et loquendum Italice ut nos deterreamur, ad nostras splendidas omni humanitate ac liberalitate origines revocamur, manu ducimur, restituimur.

Quid vero, postquam grammaticam ceteramque rem omnem philologicam Latinam fore maximo Italicae linguae adjumento dixerimus, quid de interioribus literis Latinis, seu de integra literatura Romana dicemus? Major, quam oratione mea complecti queam, res est haec postremo loco pertractanda, ut alterius orationis meae recitandae fidem vobis hic oppignerans facilius impetrem veniam nunc me expediendi paucis.

Literatura autem, id rite sibi vult, est vivida quaedam nationis imago proprio sermone facta convenienter ad statum naturae suae viriumque suarum; seu est indoles nationis expressa decenter per proprias literas. Proinde quid animi, quid corporis robore valuerit natio; quid natura, quid industria pepererit; quid pace, quid bello gesserit; quid virium vi, quid imitationis exercitatione protulerit; quid per scientias et artes, per jura et foedera, per commercia et societates egerit, quid quoquo modo ad eam spectare potuerit, id omne plane in Literatura continetur. Sed ita, ut indoles ipsa to-

tius gentis tam puro ac proprio sermone per dicta factaque sua appareat manifesta, ut in puritate ac proprietate ipsa sermonis non modo dicta et facta genti convenientia agnoscamus, sed etiam, quid sibi fortasse dicendum, vel faciendum sit, nos illis literis familiariter usi describere more prope suo posse aliquando conemur. Si qua tales literas non habeat gens, nullas sibi proprias literas habere putanda est.

Quare in literaturae studio quum duo attendenda sint, materia rerum, et forma verborum; nec res melius capi possit, quam captis bene verbis, evidentissimum est, non posse quempiam, nisi verborum peritissimum, assequi perfectam notitiam rei. Blaterant profecto, qui scientiam rerum magis, quam verborum disciplinam affectantes, se posse primam sine altera facile adipisci jactitant. Enimvero optimos esse philosophos istos negamus: quippe qui ignorare videantur, quod est gravissimum, qualis et quanta sit signi cum re significata significandaque necessitudo. Quae tanta est, ut Plato in Cratylo, ut Cicero in libro de Oratore, ut Vicus omnibus pene in suis scriptis, Graecorum, Latinorum, et Italorum philosophorum optime principes, demonstrarint, philologiae et philosophiae provincias conjunctas et consociatas esse, nec ultra utri sit praeeunda studio posse quempiam videre, ni viderit, sine verbo, quod est signum, non posse prorsus philosophari. Exquisitissima igitur verborum forma opus est et omnibus disciplinis, et cum maxime philosophiae, qua recondita, intima, abstrusa ac difficillima quaeque tractantur, quaque latius pervolutata major eruitur linguae copia et vis. Nihil veri, nihil boni, nihil pulcri, quod dicendum sit, proprie et apte dici potest, nisi significantissimis dicatur ver-

bis. Nam si res est id, quod quis *retur*, seu cogitat, seu coactum it, jam nec res sine cogitatione, nec cogitatio sine re haberi potest. At, quum cogitatio sine verbo, ut certo signo, haberi nequeat, sicuti ajunt philosophi, sequitur tanto melius posse et cogitari et dici, quanto aptiore verbo uti sciatur. Itaque si non tam belle, quam bene nos dicere avemus, non verba, posthabita re, sed cum re aptiora ad hanc exprimendam verba discere in literarum studio satagemus. Sic et literarum studium scientiis, et scientiarum literis magno prorsus est foenori: quod qui porsolverit, is suo in literas conjunctim et scientias officio perfunctus esse iogenti cum laude praedicabitur.

His positis, si sub extima verborum cortice sapidam rei medullam degustare appetimus, nullas gustui nostro sapidiores, quam Romanas literas, esse sentimus. In quibus erecta et praecelsa indoles Italorum tam scite sese agitat explicatque ad quoslibet usus vitae privatae ac publicae, nulla ut gens operosior inveniatur. Attamen cunctae sic agendi rationi praeest Romanus ille sensus, qui adspectu patriae mirifice illectus ad praeclara quaeque patriam condecoranda facinora effertur. Quem quidem sensum quanto magis populariter res scribendo persequuntur, tanto magis digni natione scriptores consalutandi sunt. Romanis autem omnibus unum caput est amor patriae, unum nomen Roma, unum imperium urbis et orbis. Idcirco non facti, sed nati ad Romanae amplitudinis gloriam posteritati commendandam videntur; idque non effundendo verba, quae aut res parvas amplificarent, aut minus veras confirmarent, assecuti sunt. Sed omnem recte ac secus factorum seriem persequendo, vivam spirantemque Senatus Populique Romani effigiem nobis quasi oculis contuendam exscul-

pserunt. Nihil de majestate nominis et imperii, nihil de regimine reipubblicae et libertate civium, nihil de administratione et felicitate armorum, nihil de tanta in patriam caritate omnium, ad summam de militari civilique re nihil sibi et nobis reliqui fecerunt. Nihil sibi, quominus ipsi e stirpibus Romanae gentis pullulasse viderentur: nihil nobis, quominus uno intuitu omnem Romanae magnitudinis campum collustrare possemus. Legis rogandas leges? habenda comitia? creandos magistratus? partiendas provincias? proroganda imperia? exercenda judicia? indicenda bella? facienda foedera? decernendos triumphos? referendum ad Patres? concionandum ad plebem? alloquendum ad milites? Tanta Romanae dignitatis libertatisque fiducia pertractantur omnia, non jam ut tibi scriptores legere, sed cives Romanos ipsos cernere et audire in Curia, in foro, in vulgo, in castris sermocinantes videaris: tanta omnibus in his Classicis auctoribus inest cupiditas magnificandi patriam urbem, urbem aeternam, Romam, reginam urbium, dominam gentium, legislatricem provinciarum.

Admirabilis vero iste sensus patriae caritatis haud dubie dici justus omni ex parte nequit, quum patriae amplificandae voluntas sit alienarum gentium praeda ac servitute satisfacienda. Sed, si illi accesserit, ut par est, sensus humanitatis, qua nos his temporibus reparatae divina ope naturae fruimur, quis non viderit, optimum effici sensum illum, conciliaturum sibi mentem animumque hominum, qui per fas naturae perque jus nationum libertatem sibi privatim publiceque usurpare connituntur? Sanctum inviolatumque esto unicuique nationi jus imperii ac libertatis suae: et caritas

patriae non elanguescet, non; sed mirum quantum sanctitate hac ipsa sui juris augebitur et corroborabitur. Nos interea, quibus tam opus est patria caritate sub fine liberandae Italiae a formidolosissimis hostibus, per speciem nescio quam juris divini conculcantibus adhuc terram nostram, cunctabimur indidem haurire vires, unde scatet tanta patrum nostrorum copia virtutis? Ne vivam, si vel sub hac conditione quispiam nolit Romanis literis operam dare.

Oportet autem hodierno huic, in quo est statu res Italorum, ut literae nostrae, quo necessitatibus temporum congruant, duabus praecipue dotibus, ex quibus populorum summa rerum omnium constat, imbuantur ac saturentur: prudentia civili, et virtute militari. Nihil de mercatura et commercio; de negotiatione et industria rerum manu factarum; de inventionibus et machinis dicam. Aetas enim haec nostra suopte ingenio est negotiationis sollers usuque peritissima, omnis studiosa utilitatis et commoditatis, omnisque artificii vel elegantioris vitae usibus accommodati magistra ac fautrix; nata ad novitatem quamlibet machinamentorum ingeniosissimorum excogitandam conficiendamque, supra et subter per mare, per terram, per coelum ipsum, obstupescente natura, pervadens, ac fulmine velocius praetervolans. Plena motus, plena dexteritatis, omnia experiundo, inaudita pertentat, incredibilia perficit, ultra quam quod credi potest actuose mundum usquequaque fatigans. Tantam rerum novitate semetipsa sua agitantium vim, qui fieri potest, quin et nos subeamus?

Sed illa duo, quae plane adminiculantur et suffulciunt molem publicae rei, ni opera nostra fundentur, aliunde suppeditatum iri desperemus. Adnisuris ergo

nobis patriam praevalidis legibus et armis circumvallare quid magis proprium et efficax subvenire poterit, quam ex amplissimo patrum nostrorum fundo tantum efferre materiae, quantum praesenti tempori reique sufficerit? Quis populo Romano prudentia civili, militarique disciplina praestantior? quis gloriosior? Graeci quidem ipsi politissimi ac gloriosissimi nec sanctioris juris scientia, nec bellicosioris militiae victoriis non cessere Romanis, designatis idcirco ad gloriam potiundi terrarum imperio. Quodque est pro haud dubio habendum, maximos postmodo natos viros in studium Romanorum scriptorum sese ingurgitasse, Romanae vivendi agendique rationi ut et ipsi consuescerent tanto cum foenore expectationis famaeque suae; nos dubitabimus, quin intentiore studio Romanas literas excolentes minus gloriae atque utilitatis inditdem retulerimus? Haud ita profecto, auditores, haud ita.

Nam, quod spectat ad leges, nihil apud omnes vulgatius Romano jure, quippe quod in ore, in manu sit omnibus jurisperitis, Romano prope ritu pertractantibus civium cum civibus quaestiones. Tantumque momenti habet adhuc Romani scientia juris, ut sit haud facile dictu, potueritne ea aliquando non tanta esse videri prae civili bonitate temporum, et progressione hominum ad meliorem usque frugem incumbentium. Si quis vero has leges non marmore tabulave exaratas perlegerit, sed in omni omnino ratione vitae impressas vividiori stylo intuebitur, quanto magis sentiet se vel invitum attrahi atque informari ad illam prudentiam, qua adeo jam ceteris mortalibus praestitisse Romanos literae condocefaciunt? Vidimus olim quemdam legentem in Liviana historia, necessitatem post-

habendae paternae caritatis publicae utilitati coëgisse parentes, munia magistratus obeuntes, fieri filiorum parricidas, perculsum tanto miraculo pietatis erga patrias leges clamasse: Macte, Brute, tuque, Manli, macte virtute esto! Sic stabit patria, quoad stabunt leges! Quanti facere patrias leges didicisse lectorem hunc reamur, quali quantaque patria caritate incensum esse, si ob unum et alterum justae severitatis exemplum tanta captus fuerit et admiratione poenae, et verecundia culpae? Quid vero, quum de imperio, de libertate, de civitate, de cultu, de re familiari ac publica, de judiciis agendum sit? Nulli dubium est, Romanos nihilo plus invaluisse, quam jure; gentesque subactas continuisse magis auctoritate legum, quam militum praesidiis. Redolent profecto auctoritatem istam, quae se juxta civibus atque hostibus imponit, Romani scriptores, alternis prope verbis efflorescentes amplitudine consularis majestatis, potestatisque tribuniciae sanctitate: ubi Senatus Populusque Romanus consuluerit jusseritque, id lex, id ratum: dictoque omnes ad unum audientes esse debent. Ita ut versari in Classicis latinis auctoribus, et non inde secum consuefieri uni legis imperio servire, salva libertate, fieri nequeat. Nonne ad talem animi indolem habitumque nobis est spectandum? Nonne tot tantique perillustres viri ad hanc veluti normam sese effinxerunt? Nos vero imperium ac libertatem penes nos esse postulamus; et sacrosanctae legum auctoritati parere nostro vel discrimine addiscere non curabimus? Aut unde potius addiscere, quam ab iis, qui bene imperare, quia bene parere didicerant, potuerunt?

Quod si tanta nobis e Romanis literis oboriantur ar-

gumenta prudentiae, quanta autumabimus oboritura documenta virtutis? Sive enim perspexeris imperii ac disciplinae militaris severitatem, sive armorum exercitationem, sive imperatorum peritiam, sive stimulos patriae caritatis perficientis animos ad salutem et gloriam nominis Romani, quibus sane rebus stat omnis bellica virtus, gentem post memoriam hominum magis conspiciendam nullam reperies. Bellicosissima gens, nullo non exercita periculo et labore, seque suaque omnia civium exercitui assueta permittere, in omnis aleam fortunae ire semper est ausa. Cum quibus ad bellum provocantibus, cum quibus bello provocatis congrediebatur, tanta dimicatione certabat, ut seu victrix, seu victa ab ipso ducere opes animumque ferro parata omni tempore videretur. Quid Romano militi, quid duci agendum esset in armis, una disciplina justissima atque imperiosissima praescribebat uno tenore: pro patria pugnandum fortiter, fortissime moriendum. Hac disciplina contractae in urbem primitus totius Italiae vires: hac deinceps exterae gentes vel in dissitis terris perdomitae, Romanamque in ditionem redactae: hac demum Orbis imperium partum administratumque fuit. Sed quid ego vos, adolescentuli, in bellica Romanorum laude recensenda moror? Qui audiendis legendisque eorum historiis mature edocti atque instituti omnia memoriter recitare potestis singula bella, qua commissa aut confecta sint acie, qua militum copia et imperatorum dexteritate, qua contentione, quo ardore, quibus animis relata sit victoria? At cogitate non satis esse vobis has didicisse historias, nisi eorum hominum caritate patriae et virtute bellica vosmet inflammari videamini. Quod profecto in verbis ipsis aucto-

rum Latinorum est deprehendendum, ubi rerum gestarum enarratio, facta omni cum Romanae elocutionis granditate, vel imbellem animum movet ad imitanda fortissimorum patrum facinora. Tum vos, Romanis opibus aucti, viriles literas habebitis; et ex gloria civili ac militari vos adspirantes ad patres linguam quoque vestram informabitis ad optimam omnem illorum disciplinam. Non vanae, non inanes, non fucatae, non luxuriantes, non expertes prudentiae, non vacuae virtutis, non indignae nostrae aetatis et patriae prodibunt per vos Italicae literae, si Romano succo et sanguine veluti saginentur: unde color unus omnibus omnium temporum Italis hominibus inesse adspiciatur.

Porro legendis commentandisque solum Latinis scriptoribus, aut etiam, si placet, Italice vertendis, Romanae locutionis facultatem tantam adsequi poterimus, ut Romana nos in civitate nati atque alti dicere et agere Romano more videamur? Aetas et usus obstat, id ego ne credam. Et vos ne credatis, quod miror ceteroquin hodie tam in vulgo esse creditum, obstat auctoritas illorum summorum virorum, qui Italice scribendo Romano sensu permoti visi sunt omnia scripsisse. Profecto ii non uni lectioni et commentationi, vel Italicae versioni se dediderunt; sed in Latina scriptione et locutione etiam atque etiam versati sunt. Consuetudo scribendi et loquendi Latine ea una est, quae nos sinit Romana sensa ita perbene capere, ut demceps de suo quisque totidem ex exprimere ac tradere possimus. Quo nisi perventum sit, nunquam quicquam Romani ingenii nos nostro sermone praestaturos confidamus. Sentire perinde ac Romanos quando praesertim existi-

mabimus quemquam, nisi quando sua sensa valeat Romana lingua significare, quasi cum Romanis ipsis colloeutus? Concedo posse nonnullos, licet sine ista peritia, Romanos aestimari viros ob egregiam animi corporisque sui indolem, factam ad pristinam Quiritium magnitudinem aemulandam. At hic res est de scriptoribus. Quibus quum necessum sit renovare Romano sanguine literas nostras, degenerantes in servitutem et imitationem alienigenarum, quotidiano ex usu compertum est, se id non posse consequi, quin et ipsimet prae se ferant diu multumque de lactea ubertate Romanorum suxisse vigorem illum, quo revirescerent Italicae literae. Tales procul dubio fuere, ut paulo ante diximus, principes Italorum scriptorum a Dante, a Boccaccio, a Petrarcha, antistite omnium ejus temporis Latine scribendi et loquendi peritorum, usque ad Foscolum et Leopardium. Eadem ergo, quia itum est his, ceterisque de Italica re literaria meritissimis, eundum est et nobis, si linguam virili gentis suae indole vigentem, nostroque usui protinus accommodatam efficere cupiamus.

Nec vos, adolescentuli, e superiore sermone elicere potestis, hujusmodi opus vobis aut non necessarium, aut non honorarium, aut non facile fore. Tam necessarium, quam quod unquam aliud, ut pluribus jam est dictum, qua originem, qua progressionem linguae nostrae spectetis. Tam honorarium, ut nesciam an honoris aliquid majus contingere potuerit ingenuitati ac liberalitati juventae vestrae operam navantis domesticis literis. Ac si, *non tam praeclarum est scire Latine, quam turpe nescire*, inquit Cicero de Romanis, de Italisne id fortasse minus dicendum? An non turpe no-

bis ignorare pulcherrimam patrum linguam, quae et alibi peregrinis permixta vocibus sonat adhuc; et Christianae universitatis vinculum communicationis in unius immutato post undeviginti saecula verbo fidei perdurat; et in suis Classicis scriptoribus, e barbariae furore divinitus servatis, praestantissimum nobis genus omne rerum in pace et in bello fruendum praebet cum tali nunquam posthac in terris exaudita gravitate verborum ac sententiarum? Tam denique facile, testes ut vos ipsos rogitem non jam de vestro labore, sed de progressu in Latinis literis facto. Qui, quantuluscunque sit, satis esse poterit vobis, ut praevideatis, quot quantosque collecturi eritis fructus ex cultu, quo hic per aetatulam vestram educamini atque instituimini ad omnes bonas artes. Si, perinde ac ingeniosi estis adolescentuli, literarum studiosi fueritis, nunquid deerit aut praeceptorum peritia, quae citra omnem assentationis insusitatae mihi suspicionem omnibus est longe perspecta et probata; aut doctrinarum praestantia; aut praestantissimae disciplinae ratio; aut privatae publicaeque exercitationis frequentia; aut incitamenta, aut exempla, aut quid aliud, quo vobis Latinae Literaturae campus, per quem spatiari pro ingenio licuerit, commode pateat? Vix nostra studiosa juventus, ad Italicam disciplinam revocata, Classicis literis magis magisque erudiri jussa est, quum ad eas nova se alacritate contulerit. Plerique jurantes in verba ludimagistrorum illiberalium aut Latinitati aeternum indixerant bellum, aut eam vix e limine salutaverant. Quantus tamen hos ipsos incessit ardor bene Latine sciendi quos processus sa effecisse sub hoc tempus fatenturi quantum ipsos poenitet, morem se tamdiu gessisse

hominibus, Romanarum literarum non tam insuetis, quam plane expertibus! Sors vero melior quum obtigerit vobis, informandis ad omnem rerum Latinarum usum; quo vos esse perventuros per annos aliquot, per labores vestros, per industriam nostram, per communem Italiae caritatem bene sperare non jubemini? Felices, quibus ab ineunte adolescentia arriserit spirans in suis voluminibus Romanae majestatis imago! Qui viri, qui cives erunt, in spem patriae subolescentes, domi militiaeque futuri!

Quare agite, adolescentuli, et majori, qua adhuc, strenuitate incumbite in haec studia, ingentem vobis cumulatura totius Italicae rei literariae segetem. Mementote, nullo vos modo satius profuturos perficiundo eloquio nostro, quam usu Latinae linguae, antiquissimam omnium Italarum gentium sapientiam continentis. Mementote Italiae, egentis nunc cum maxime civili militarique prudentia; quam nisi a sanguine patrum nostrorum in Latinis paginis immortaliter impresso hauriamus, vix aliunde desumpturos speremus. Memetote hujus urbis vestrae, quae nobilitatis ac humanitatis suae nunquam oblita, ceterasque bonis artibus excellentiores super Aprutinas urbes, nomine et re velut aquila volans, vos orat obsecratque, ut sibi vobisque ipsimet consulentes ultimam originem Sabinorum Vestinorumque vestrorum late exsplendescentem recentiore usque literarum gloria condecoretis. Vestras est Crispus Sallustius Amiterninus; vestras P. Ovidius Sulmonensis; vestras Silius Italicus Corfiniensis; vestras Asinius Pollio Theatinus; vestras Lucius Valerius Pudens, cui poëtici certaminis victori vix tredecim annos nato statuam legimus ab universa plebe mu-

nicipum Histoniensium positam conlato aere fuisse; vestras Franciscus Barbatus, Petrarchae aequalis et longe acceptissimus; vestras Sebastianus Foroli, Angelus Fonticolanus, Maria Angelus Accursius, Franciscus Vivius, Hyacinthus Dragonetti, Venantius Lupacchini, Camillus Eucherius Quinzi, Franciscus Philippi Pepe, Melchior Delphicus, Paschalis Borrelli, Nicolaus Nicolini, Angelus Maria Ricci, aliisque compluribus missis, per quos stetit et stat Aprutini nominis honos et amor in patrias literas, satis esto una Milli, non jam Interamnas sed Italis poëtria appellanda; foemina divite vena ingenii, et felicitate carminum ex tempore fundendorum probatissima, vindex hercle facta improvisae poëticae facultatis Italorum, a nostratibus ipsis male praejudicatae, multo magis male praedamnatae. Ast ego quid plura, Inquam, quid plura memorabo apud vos, Aprutinos homines, quibuscum aliquandiu, nec injucunde, versatus didici jam tanti facere nomen ingeniumque vestrum? Ergone famae vestrae expectationique patriae, timere ullo pacto possem, ne sitis vos defuturi? Minime equidem timeo: Idque vobis certissimo argumento sit, qua mihi inter vos alacritate ingrediendum esse putem curriculum hoc studiorum, ut et dignitati nominis vestri haud impar sim, et muneris mei partibus faciam satis. Quod bonum, faustum felixque sit mihi vobisque, connisuris ad renovandas literas nostras populari ea Italicae libertatis voluntate, quae nunquam potius, nisi literis viriliter impressa extiterit, nationis nostrae nuperrime restauratae decus significabit.
